UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Feria VI. post Cineres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-78158

Visual Library

tis. Idem postea in orationis & merito, & impetratione ostendit. Animaduertite porrò fratres, occinere odiosissimè cornu suo, hoc est superbiæ & inanis gloriæ, Dæmonem bonis nostris operibus, non solùm malis. Attendite cautè nè illi accinatis. Tubam humilitatis Christi, & sanctæ simplicitatis audiamus. Et primùm cor nostrum obtineamus ab omni vanitate purum, gloriemur verò de nostris infirmitatibus, ea nostra sit gloria: hoc est ignauiæ, cõfusionis, & miseriæ nostræ professio & sensus. Nostra bona opera ex Deo esse per Christum agnoscamus; illa ad Dei gloriam & Christi referamus. In his quò magis Deũ laudabimus, eò maiorẽ nostrã vilitatẽ & videbimus & profitebimur. Illud præterea sentiamus in Christo, esse nostra bona opera ex diuina gratia, quæ est virtutis infinitæ efficacia; nostrã autem cooperationem, etiam si verè sit, verè apud Deum illa mereamur; in virtute tamen gratiæ infinitę ita contineri, vt à nobis explicari vix possit, iactari nec debeat nec possit. Ceterùm quod de thesaurizatione addit Christus in Euangelio, summam habet suauitatem & vim, & singularem dignitatem operum ostendit. Itaque intelligimus non solum nos posse mereri coram Deo per opera nostra in Christo, sed etiam cælestem thesaurum reponere, & in immensa Dei & infinita bonitatis eius abysso recondere. At scis tu Christe IESV, quo duis meritum nostrum esse thesaurum in cælo, quid ergo nos ad thesaurum ineitas meritorum? Volo vos continenter augere merita vestra; quod facietis, si in terra nolitis thesaurizare, sed cor vestrum in thesauro & merito meo reponatis & gratia, vnde ad cælestem thesaurum vehementiori indies studio contendatis, & vberiore prouentu.

Pro feria v. post Cineres repetatur idem Euangelium, adnotatio & meditatio, quæ supra Dominica iij. post Epiphaniam. 52.

FERIA VI. POST CINERES.

De dilectione inimici.

MATT. V. LVC. VI. ANNO XXXI.

In xxiij. imaginem adnotatiuncula. xxiij. 20.

A. IESVS docens in monte Thabor.
B. Significantur conciones quibus Iudæi suas traditiones proponebant.
C. Homo qui pro ijs orat à quibus persecutionem patitur & calumniam.
D. Homo quem auersatur inimicus, cum tamen hũc benignè ille accipiat & benevolè.
E. Homo vanus, qui variis artibus ad ambitionẽ venditat eleemosynam.
F. Pauperes eleemosynam accipientes.
G. Spectatur vndiq; vanissima eleemosyna.
H. Alter vir pius, qui occultè dat eleemosynam.
F. Sol & pluuia, quibus Deus bonis & malis benefacit.

EVAN-

EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. V.

AVdistis [a] quia[b] dictum est; Diliges proixmum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Ego autem dico vobis; [f] Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, & [c] orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui[i] solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonnè & ethnici hoc faciunt?

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

Cap. 6.

Attendite ne iustitiã vestrã faciatis coram [e] hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedẽ non habebitis apud Patrẽ vestrum qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynã, noli tuba canere ante te, sicut [e] hypocritæ faciunt in [f] Synagogis & in vicis, vt [h] honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat [h] sinistra tua quid faciat dextera tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

LVC. VI.

sed vobis dico qui auditis; [d] *benedicite maledicentibus vobis,*

quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt.

Et si bene feceritis his qui vobis benefaciũt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis ijs à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date nihil inde sperãtes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.

ADNOTATIO.

A. THabor mõs, vbi Christus docet discipulos.

B. Significantur conciones quibus suas traditiones populo proponebant Scribæ & Pharisæi. Erat autem hæc vna ex peruersis traditionibus quibus rescindebant verbum Dei propter

Mat. 15

suam doctrinam; Odio habebis inimicum tuum: nusquam enim è verbo Dei acceperant odio habendum inimicum. Illud audierant patres eorũ, Deut. 7. *vt septem illas gentes ad internecionem percuterent, nec inirent cum eis pactum, nec eorũ misere-*

 sereren-

sererentur, neque inirent cum eis coniugia. Au-
Deu.23. *dierant, ne facerent cum Ammonitis & Moa-*
bitis pacem, nec quærerent eis bona cunctis die-
bus vitæ suæ in sempiternum. Audierant vt de-
Deu.25. *lerent nomen Amalech sub cælo, & cauerent ne*
obliuiscerentur. Verum in his nihil ipsis odij ad-
uersus inimicos præcipiebatur, sed ministri dū-
taxat Dei iudiciorum constituebātur; simul ne
fœdus cum illis gentibus facerent in suā ruinam
prouidebatur. Ad mandata igitur Dei explenda
fideliter robur illis addebatur, ad bellum Domi-
ni fortiter gerendū; quod vt confidentius face-
Exo. 23. *re possent, imperauit illis Dominus vt audirent*
vocem Angeli principis, in quo erat nomen Dei;
ita futurum vt inimicus esset ipse inimicis eo-
rum, & affligentes eos affligeret. Nihil igitur
hinc habebant Iudæi, vnde illam elicerent tra-
ditionem. Nihil ex eo quod dixit Deus; Diliges
Leu. 19. *amicum sicut teipsum: nam si inde colligas esse*
odio habendum inimicum, similiter ex eo quod
præcepit Deus, bouem errantem, vel asinum ini-
Exo. 23. *mici ad eum reducendum, conficies bouem aut*
asinum amici non reducendum: similiter efficies
maledicendum audienti, & coram vidente po-
nendum offendiculum: quia præcipitur surdo nō
esse maledicendum, & cæco non esse ponendum
offendiculum. Sunt hiusmodi loca infinita, ex
quibus nō licet ita colligere vt Iudæi ex illo Le-
uitici. Et tamen quod est Hebraicè רֵעַ *non pro-*
prie amicus est, sed vniuersalius significat;
Leui.19. *& hoc loco proximum vertunt septuaginta, &*
Exo. 20. *Chaldæus interpres, tum latinus bis alibi in eo-*
Deut. 5. *dem cap. Quod vt non solum pro gente sua in-*
terpretari debuissent Hebræi, facit quia eodem
cap. prohibet Deus ne fiat calumnia proximo: hoc
verò de omni proximo, nō de Iudaico solum ne-
cessariò intelligēdum est, vt in decalogo, vbi ter
repetitur רֵעַ *id est proximus; ne eius desidere-*
tur domus, ne vxor, ne seruus vel ancilla, ne bos
vel asinus, ne quicquid illius sit. Omnia verò hæc
de omni homine, non solùm de Iudæo accipere
nullus dubitare potuit. Quæ cum ita sint, per-
uersa fuit illa Iudæorum traditio: nam locus ille
Leuitici vniuersaliter de omni homine fuit in-
terpretandus. Quod si ita est, vt est, contra ver-
bum Dei fuit elicere inimicum esse odio haben-
dum, cum inimicum nemo possit deijcere de cō-
munione proximi. Sapienter igitur & necessa-
riò illorum errorem correxit Christus, & diuina
perfectionē charitatis erga proximum docuit.

C. Homo cui cum alij maledicant & calum-
nientur, ipse tamen pro illis Deum orat.

D. Homo alius qui læto ac placido vultu ini-
micum cōuenit, caput illi aperit comiter; ille ta-
men auersatur ac reijcit, odium spirans & iram.

E. Ambitiosus & vanus homo, qui venditat
suam eleemosynam, vulgò tuba iubet intonari
vt pauperes ad stipem conueniant accipiendam.
Erogat ipse in medio foro, allicit etiam homines
ad spectaculum.

F. Pauperes eleemosynam accipientes.

G. Vndique toto foro è tectis & fenestris
conueniēs turba ad pompam vanissimæ eleemo-
synæ spectandā; Dæmon capiti hominis insidens
eius mentem peruertit futilis gloriæ dementi
ambitione, & facit vt æternam mercedem cum
caduca illa commutet.

H. Alius est homo præterea qui occultè dat
eleemosynam, vbi ab hominibus minimè videa-
tur: manu dextera dat pauperi stipē, & sinistrā
in contrariam partē retrahit: quo significatur
pura animi intētione esse eleemosynā erogādam,
nihilque simistræ cupiditatis vel gloriæ quæren-
dum, sed in Deum omnia esse referēda sincerè.

I. Sol & pluuia: hanc facit Deus descendere,
illum oriri super iustos & iniustos.

MEDITATIO.

VErè pater noster es tu Domine Deus, infinita bonitas, infinita perfectio, immēsa charitas; quò nobis arduum magis videtur tuam perfectionem imitari, & inimicos etiam diligere. Erratis filij, vobis hoc difficile non erit aut molestum si velitis. Filio meo fuit & difficile & molestum vobis hanc facultatem conficere, etiamsi gratissimum; qui pro vobis inimicis acerbissimè mortuus est atque ignominiosissimè. Illum imitemini, & excelsas eius virtutes, & me eritis imitati: ille enim via est quæ ad me ducit. Induite Christum, & hunc crucifixum, & dulce erit vobis inimicos diligere. Benefacietis eis qui vos oderūt, orabitis pro persequentibus & calumniantibus vos. Est enim filij mei crux infinitus dilectionis inimicorum splēdor. Incumbite in huius amoris meditationem & praxim in omnibus Dei & vestris inimicis; modò proximi vestri sint, summa erga illos mansuetudine vtimini. Dein quod bonum est in eis amate, Dei voluntatem de ipsis sectamini: mala verò quacunque ratione possitis ab illis depellite, virtutes illis procurate, vt ego in vobis feci, ac contiuenter facio; ita in illis vos curate & facite semper me authore.

SABBATO